

SCRIPTA

Numéro Scripta : 5387

Auteur(s) : official de l'archidiacre du Cotentin Guido de Harcourt [autre]

Bénéficiaire(s) : Coutances (chapitre cathédral)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1294, 7 mai

Lieu d'émission : Valognes

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Mathilde, veuve de Thomas Trevieres, de Hauteville-Bocage, vend au chapitre de Coutances pour trente et un sous tournois une rente de trois caboceaux de froment, mesure de Hauteville-Bocage à la Saint-Michel du Mont-Gargan. Cette rente est assise sur une tenure de Hauteville-Bocage que Mathilde tient du chapitre. Si elle ne peut pas payer cette rente, elle devra verser au chapitre en contrepartie cinquante sous tournois.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Fontanel Julie, *Le cartulaire du chapitre cathedral de Coutances*, Saint-Lô, Archives départementales de la Manche (Sources inédites sur l'histoire du département de la Manche ; 1), 2003, n° 152, p. 283-284.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis, officialis curie Guidonis de Haricuria, archidiaconi de Costentino in ecclesia Constantiens, salutem in Domino. Noverit universitas vestra quod in nostra presentia et in jure coram nobis Valoniis constituta, Matillis, relicta Thome Trevierez de Alta Villa, confessa est spontanee, non coacta, se vendidisse ad finem et in perpetuum dimisisse viris venerabilibus et discretis capitulo Constantiensi tres cabocellos frumenti ad mensuram de Alta Villa annui redditus super totum tenementum quod dicta relicta tenet in feodium de dicto capitulo in parrochia de Alta Villa ; tenendum, habendum et jure hereditario possidendum a dicto capitulo libere, pacifice et quiete, absque reclamatione ejusdem Matillis et ejus heredum in dicto frumento decetero facienda pro triginta uno solidis tur., super quibus eidem Matilli extitit plenarie satisfactum, in pecunia numerata conversa in usus proprios ejusdem Matillis, prout confessa in judicio coram nobis et promittit dicta Matillis eidem capitulo dictum frumentum reddere et solvere dicto capitulo quolibet anno ad festum sancti Michaelis in Monte Gargano, volens et concedens quod dicti viri super totum tenementum possint suam facere justiciam pro habendo frumentum antedictum ; et juravit eadem Matillis, tactis sacrosanctis evangelii, quod premissa dicto capitulo adimplebit, garantizabit, furniet et deffendet et quod dictum tenementum redditibus non honerabit quin dicti viri super dicto tenemento recipere plenarie valeant frumentum supradictum et quod dictum frumentum alias in sua hereditate propria valore ad valorem, si necesse fuerit, sufficienter excambiabit, volens et concedens a nobis excommunicari, nulla alia monitione premissa, tanquam rea perjurii puniri, inscalari, omnemque audientiam sibi denegari, tam in foro ecclesiastico quam etiam seculari et quod teneatur solvere dicto capitulo quinquaginta solidos tur., nomine pene commisso ab eadem apposite, si contra premissa vel quolibet premissorum, per se vel per alium, quacumque ex causa, quoquo modo, venerit in futurum aut venire niteretur. Ad que obligat dicta Matillis se, heredes suos et omnia bona sua, mobilia et immobilia, presencia et futura, obligando ad hoc se, heredes suos ut prefertur, renunciatavit

super hoc omni exceptioni doli mali, venditionis non facte, precii non justi, non habiti, non recepti, privilegio crucis et fori, petitioni libelli presentis copie instrumenti, beneficio senatus consulti Velleianensis, epistole divi Adriani et omni juris auxilio pro mulieribus introducto et omnibus aliis exceptionibus, allegationibus et defensionius juris et facti, loci et temporis, que contra presens instrumentum possent obici vel adduci. Et nos dictam Matillem volentem ad premissa tenenda et fideliter adimplenda dicto capitulo, ut prefertur, per suum juramentum condempnamus. Actum anno Domini M° CC° nonagesimo quarto, die martis post Translationem sancti Nicholai.